



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XIX. a Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

dicit. c. 4. consell. 7. Idem circa militem dubitatem
an aliquem occiderit, resolvit Diana p. 4. tract. 2.
resol. 2. & 52. Escobar, & Gibalin. *ubi supra.* Idem
dicendum est de consulente homicidium, & dubi-

tante an ejus suafu sequutum sit: quem casum ex-
plicant Petrus Cornejo in 3. part. tract. de irregul.
disput. 1. dub. 2. Diana part. 4. tract. 2. resol. 25.
Escobar supra, num. 45.

CAPUT XIX.

^a Idem.

Tu nos duxit fraternitas consulendos. *Et infra:* Tertiò quæsivisti Apost. Sed re-
sponso explicari, quid sit de quodam monacho sentiendum, qui credens se quan-
dam mulierem à gutturi tumore curare, ut chirurgicus cum ferro tumorem il-
lum aperuit: & cum tumor ille aliquantulum residisset, monachus ipse mulieri præcepit,
ne se vento exponeret ullo modo, ne forte ventus gutturis apertione intrans, sibi
causam mortis inferret. Sed mulier ejus mandato contempto, dum messes colligeret,
vento se exposuit incaute, & sic per apertione gutturis sanguis multus effluxit, &
mulier diem finivit extreum: quæ tamen confessa est, quod quia vento exposuit se-
meriplam, sibi dederat causam mortis. *Utrum videlicet, cum prædictus monachus*
fit sacerdos, liceat ei sacerdotale officium exercere. Nos igitur f. t. taliter responde-
mus, quod licet ipse monachus deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi mi-
nimè congruebat; si tamen causæ pietatis, & non cupiditatis, id egit, & peritus erat
in exercito chirurgiæ, omnemque studuit diligentiam, quam debuit, adhibere, non
est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reproba-
dus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut
divina valeat celebrare: alioquin interdicta est ei sacerdotalis ordinis executio^b de ri-
gore.

NOTÆ.

1. ^a **I**dem.) Ita etiam legitur in quarta collectio-
ne, *sub hoc tit. cap. 3.* sed inscriptio restituenda est *ex cap. tuanos, desponsal.* ubi integrum epi-
stolam Innocentii transcripsi.
2. ^b **D**erigore.) Quia dabat operam rei illicitæ
artem chirurgicam monachis prohibitam exer-
cendo. Docuerunt Covart, *in Clement. f. furiosus,*
2. part. §. 4. num. 2. & omnes illi, qui commu-
nem distinctionem agnoscent inter eum qui dedit
operam rei licita, vel illicita. Ita hanc textum
aceperunt Molina *de iustitia disp. 77.* Avila de
censur. 7. part. disput. 6. scđt. 1. dub. 2. Villalobos
in summa, tract. 2.1. tom. 1. difficult. 24. Sed rectius
Sotus, Prepositus, & Hurtado, quos refer &
sequitur Gibalinus *de irregul. cap. 4. regul. 2. con-*
fess. 1. docuerunt in presentimonachum non de-
clarari irregularem, sed tantum Innocentium af-
ferere monachum graviter delinquisse alienum of-
ficium usurpando, ut constat ex illis verbis: *Mul-*
tum deliquerit. Unde docet Innocentius *juxta juris*

rigorem suspendendum esse à sacerdotialis ordinis
executione, ex quibus verbis apparet, monachum
istum non esse irregularem, quia ejus culpæ non
contigit homicidium, quamvis peccaret alienum
officium usurpando: si autem vel impunita,
vel negligentiâ ipsius contigisset mors mulieris,
certum est irregularem futurum fuisse. In præ-
terea casu suspensio incurrit; & ita docet Inno-
centius, post condignam satisfactionem posse ex mi-
sericordia divina celebrare. Nec verba illa, *pote-*
rit misericorditer cum ipso agi, important irre-
gularitatem; nam idem dicitur de eo, qui in duello
partem digitæ amiserat, *in cap. 1. de corpor. viriat.*
cum tamen ille minimè sit irregulatus, sed depo-
nendus, *cap. 1. de clericis pugnant.* Etiam *in cap. ult.*
de bigamis, dicitur dispendare Episcopum cum sa-
cerdote, qui plures habuit concubinas, sicut cum
fornicatore simplici, ut sacerdotialis munia obeat;
& tamen confat ex ibi traditis, sacerdotem in ea
specie nec esse bigamum, nec per consequens irre-
gularem: igitur ex simili loquendi formula non
rectè deducitur, irregularitatem contractam esse,

§.

A D ultimum fuit ex parte tua propositum, quod quidam scholaris metuens, ne latro-
nes in domo sua essent, parvo assumpto gladio, ut ignem quereret, destrato
surrexit; & cum venisset ad ostium, ignarus reperit ibi forem, qui cum scholari
luctari incipiens, non solum ipsum scholarem prostravit ad terram, sed etiam penè ad
mortem vulneravit eundem. Scholaris vero provocatus ab illo, vim vi in continentia
repellens, extracto, vel extorto latronis gladio, eundem servato juris moderamine re-
percussit, qui præterritus fugam, quām citius potuit, maturavit. Mane itaque lucelcente,
scholares latronem quæsiverunt eundem, qui vulneratum inventum Potestati Vicentia
tradiderunt, coram quo constanter negavit, quod præmissa minimè perpetravit. Unde
præfata

prefata Potestas ad eundem scholarem suos nuncios destinavit, ut exponeret, si qua sci-
ret de fure prædicto, vel traderet intersigna: qui cultrum, quod ipse latroni abstulerat,
& fotulares ab eodem in ipsius domo dimisso, quos abstraxerat sibi, ne pedum strepi-
tus audiretur, nuntiis tradidit memoratis, super eodem facto se nihil amplius intro-
mittens. Potestas igitur receptis talibus intersignis, latronem ipsum apparitoribus suis
tradidit puniendum, qui illi amputaverunt b virilia, & oculos eruerunt: latro vero
se ad quoddam cœnobium transtulit, & ibi per triduum ira, & dolore commotus, nec
potum sumpsit, neque cibum, & sic de medio est subtractus. Unde per nostrum po-
stulam oraculum edoceri, utrum prefatus scholarius ad sacros ordines valeat promo-
verit? Nos igitur inquisitioni taliter respondemus, quod si prefatus scholarius dignis
meritis adjuvatur, propter prescriptum eventum a susceptione sacrorum ordinum nulla-
tenus est arcendus.

NOTÆ.

Inromittens.) Idest nec accusans, nec testifi-
cium perhibens, alias esset irregularis,
nisi præmissa protestatione, de qua in cap. 2.
hoc tit. in 6. ubi plures congesit Cenedus Collect.
12. Gibal. de regul. c. 4. difficult. 11. & sequenti,
Iranzo de protest. considerat. 46. Ratio est, quia
quando clerici, vel laici aliquem accusant ablique
protestatione, eorum voluntas per talem accusa-
tionem manifeste fertur ad homicidium, vel mem-
bri mutilationem; unde in præsenti scholari non
judicarunt irregularis, etiam si signa dedisser, ut
cognosceretur fur, qui postea ex punitione judicis
decessit; quia signa illa nullo modo ad mortem,
vel membris mutilationem referri poterant, sed
tantum aliquid leve indicium præbebat: quæ
quidem causa remota fuit homicidii, & ita irregu-
laritas contracta non fuit.

b Virilia.) Forsan juxta morem ipsius Provin-
cianam in aliis Provinciis furibus aures amputan-
tur; ut probat, & illustrat Langenus libr. 10. se-
mejtr. cap. 2. & in ipsa Gallia lex Salica jubet fer-
rum, qui quadraginta denarios surripuerat, ca-
strari, tit. 3. de furto, §. 2. Apud alios in aure signum
inurebatur. Sanctus Vincentius Ferrerius serm. 4.
Dominica 2. Epiphan. ibi: *Sicut latroni datur
canterium ignem, vescinditur in aure signum
furi, ut cognoscatur: sic Deus in signum illius far-
ti, quod Adam faciebat, homines circumcidit in
illa parte verecundo a jussi. Et de Persis refert Thom-
as Morus in sua Utopia. Apud Bajubarios manus
furibus servis amputari jubentur, c. 6. legum Ba-
jubar. in haec verba: *Si quis in exercitu aliquid
furaverit pastorum, capistrum, frarum, felium,
vel quaecunque involaverit, & probatum fuerit, si
servus est, perdat manus suas.* Castratio de qua in
præsenti, dicitur extrema pena ab Apuleio lib. 7.
in fin. & pueri supplicium à Martiali libr. 2. epi-
gram. 60. ubi notavit Ramiresius: & plura de hac
pena cumulavit Theoph. Raynaud. tom. 14. tract.
de tripli eunuchismo. An vero talis abfcissio ho-
die in penam delicti à judice imponi possit? que-
runt D.D. Négrat Guill. Benedict. in c. Raynuntius,
vers. Quæ cum alia, n. 16. de testam. Affimat Gibal.
tom. 1. de negot. lib. 1. c. 4. art. 3. consell. 9. n. 6.*

CAPUT XX.

Idem Priori, & fratribus Cartusiens.

Sicut ex literarum vestrarum tenore acceperimus, cum quidam Presbyter vestri Or-
dinis, qui prius fuerat b niger monachus, quandam mulierem prægnantem, cum
qua contraxerat consuetudinem inhonestam, & qua afferebat se concepisse ab eo,
per ezonam arripuerit quasi ludens, ipsa postmodum mulier sic ex eo se afferit fore læsam,
quod occasione hujusmodi abortivit: propter quod idem presbyter proborum viro-
num usus consilio se ipsum duxit ab altaris ministerio sequestrandum. Quare nobis hu-
mileriter supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos vero devotioni
vestra insinuatione præsentium respondemus, quod si nondum erat vivificatus conce-
ptus, poterit ministrare, alioquin ab altaris debet officio abstinere. Datum Later. IV.
Non. Oct. Pont. nostri anno XIV.

NOTÆ.

Cartusiens.) Ita etiam legitur in quarta
compilatione sub hoc tit. cap. 4. & in ipsis
epistolis Innoc. III. lib. 2. regestr. 14. epist.
107. ex quo regestro textum hunc transcribo. De
hoc præclaro Cartusiensium Ordine nonnulla ad-
duxim in cap. pertus; desimonia.

b Niger monachus.) Idest Benedictinus, ut
probavi in cap. 10. de temp. ord. Possunt enim om-

nes Religiosi cujuscunque Ordinis ad Cartusiensium
Ordinem, tanquam strictiorem se transferre, ut probavi in cap. licet, de regular.

c Zonam.) Zona est genus cinguli, quo mo-
do accipitur tam apud prophanos, quam sacros
scriptores. De prophanis Zonis plura congesit
Salmatius in notis ad Spartianum fol. 15; De facris
fusè agit Saulay in Panopli. sacerdot. i.p. lib. 3. cap. 6.

d Vivificatus.) Juxta tradita in cap. si quis,
supradictus titulus.